

P. R. O. Provinciam illam profecturis omnia et singula sua bona tam mobilia quam immobilia merces et mercimonia Anonam eciam generis cujuscunque aliaque ad victum et vestitum necessaria quecunque per leges et statuta Regnorum et Dominiorum nostrorum extra eadem Regna deportari non prohibita in quibuscunque Portibus nostris heredum et Successorum nostrorum in Naves imponendi et onerandi et in dictam Provinciam per se vel servos aut assignatos suos traducenda absque impedimento vel molestacione nostri heredum vel Successorum nostrorum vel aliquorum officiariorum nostrorum heredum vel Successorum nostrorum Salvis nobis heredibus et Successoribus nostris impositionibus Subsidiis Custumis et aliis pro eisdem rebus et merchandisis debitis et solubilibus plenam tenore presencium licenciam damus et concedimus Aliquo Statuto Actu Ordinatione aut alia re quacunque in contrarium non obstante Quia vero in tam longinqua Regione inter tot barbaras naciones positi tam ipsorum barbarorum quam aliorum hostium Piratarum et Predonum incursus veri similiter timeri poterint Idcirco prefato modo Baroni de Baltimore ac heredibus et assignatis suis per se vel per Capitaneos aut alios officarios suos omnes homines cujuscunque condicionis aut undicunque oriundos in dicta Provincia de terra Marie pro tempore existenti ad vexilla vocandi delectus habendi bella gerendi hostesque et Predones predictos partes illas infestantes terra marique eciam ultra Provincie sue limites prosequendi eosque (si deus dederit) profligandi et capiendi et captos jure belli occidendi vel pro arbitrio suo servandi Ceteraque omnia et singula que ad Capitanei Generalis Exercitus jus et officium spectant seu spectare consueverint facienda adeo plenam et liberam ac quivis Capitaneus generalis Exercitus unquam habuit dedimus ac pro nobis heredibus et Successoribus nostris damus potestatem per presentes Volumus eciam ac per hanc Chartam nostram prefato modo Baroni de Baltimore et heredibus et assignatis potestatem libertatem et auctoritatem damus ut in casu Rebellionis repentini tumultus aut sedicionis si que (quod absit) sive super terras infra Provinciam predictam sive super alto mari in itinere ad dictam Provinciam de terra Marie faciendo vel inde redeundo oriri contingeret per se vel Capitaneos Deputatos aut alios officarios suos sub sigillis suis ad hoc deputandos quibus eciam nos pro nobis heredibus et Successoribus nostris plenissimam per presentes potestatem et auctoritatem damus et concedimus adversarios rerum novarum parcium illarum Authores seditiosos regimini illius vel illorum se subtrahentes militiam detractantes transfugas desertores emansores vel aliter utcunque contra rem morem et disciplinam militarem delinquentes jure utantur militari adeo libere et in tam amplis modo et forma prout aliquis Capitaneus generalis Exerci-